

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Moris hujus originem arcessendam esse à jure feudorum probatur
auctoritate Philippi Pulcri Regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

& Imperij Lib. VIII. Cap. XXII. 439

To 1. Libet. Ecl. Gallic. cap. 16.

Tit. 7.

To 1. Libet. Ecl. Gallic. cap. 16.

Tit. 12.

electus consecratus sit vel benodictus. Et tunc Regalia sine contradictione reddantur. Iam enim antea pater ejus Ludovicus septimus dixerat anno millesimo centesimo sexagesimo primo, post obitum nempe Theobaldi Episcopi Parisiensis: Episcopatus & Regale in manum nostram venit. Vnde factum ut Mauricius Episcopus Cenomanensis fateatur anno M C C X X I I I. quod quando electus Cenomanensis erit confirmatus a Metropolitanano, Rex reddet ei Regalia sua. Electus tamen tenebitur praestare Regi juramentum fidelitatis intra spatiū quadrangula dierum. Quod si id non fecerit, Dominus Rex poterit saifire Regalia sua, & ea tamdiu tenere quoniamque Dominus Regi fidelitatem fecerit. Hinc pariter factum ut anno M C C X L V I I. matri sua id indulget ut possit fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere, & eis Regalia restituere. Verba haec accommodata sunt ad statuta Conciliorum, tametsi ea tempestate retentio fructuum porrigeretur ad universa bona episcopalia, ut dicimus.

*IV. Sufficienter, ut opinor, probavimus solitos Reges occupare Regalia sede vacante. Nunc ergo inspiciendum est an iidem fruerentur reditibus, & an Præbendas ullo unquam tempore contulerint. Ac prima quidem fronte occurrit veterum esse usum illum fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis, argumento ducto à privilegio quod Papa Formosus Ecclesiæ Remensi concessit anno D C C C X C I I. precibus Fulonis ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi annuens. Prohibet enim ne Reges, Episcopi, aut quilibet Christianorum, sede Remensi vacante, in suam utilitatem convertant episcopatum Remensem aut ejus reditus; sed omnia futuro antistiti reserventur, eligendo intra tempus statutum in canonibus, id est, intra trium mensium spatium, ne diutiū quam par est metropolis sit destituta pastore. Tertiem hujus constitutionis laudo Flodoardum; cuius haec sunt verba in libro quarto historiae Remensis capite secundo: *Sanciens insuper auctoritate beati Petri ut nemo Regum, nullus antistitum, nemo quilibet Christianus, decadente Remorum Episcopo, ipsum episcopatum vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, preter ipsius civitatis Episcopum, & eandem metropolim nou alira constitutionem canonicam sine regulis conveniente pastore manere cogat, neque aliter Episcopum ibidem nisi ut sacri canones iubent constitui faciat.**

Verum abusus ille quem hoc loco damnat Formosus confundi non debet cum jure Regaliæ de quo nunc agimus. Nam Regalia desinit post præstitum fidelitatis juramenti. Rescriptum vero Papæ Formosi tradu-

cit pravam quandam consuetudinem quæ in Galliis invaluerat, ubi laicis non solum monasteria concedebantur propter imminenter reip. necessitatem, (ut habetur in canone quinto synodi apud Theodonis-villam habitat anno D C C C X L I V. & in canone duodecimo Concilij Vernenſis) sed etiam interdum redditus episcopatum vacantium. Quod aliquid canon xxi. Concilij Meldensis anno D C C C X L V. congregati, dum loquuntur de precariis factis ab his qui loca Episcoporum occupaverunt. Hinc autem siebat ut Episcoporum electiones retardarentur. Cui incommode occurrit privilegium Papæ Formosi. Porro consuetudo hæc interrupta erat ante controversiam investiturarum.

*V. Nam si Præcipes tum soliti essent frui reditibus episcopatum vacantium & Præbendas conferre, id haudquaquam silentio transmisissent Gregorius septimus, Urbanus secundus, Paschalis secundus, & Callistus secundus Summi Pontifices, qui severè admodum damnaverunt unicam illam solennitatem investituræ per baculum & annulum & solennitatem juramenti per manum, quique investituram coercuerunt ad sola feuda. Itaque in ea sum sententia ut existimem usumfructum reddituum ecclesiasticorum introductum esse post constitucionem Callisti editam anno M C X X I I. quæ Regibus tribuit potestatem exigendi a Prælatis universa officia & obsequia quæ ratione feudorum exhibere tenentur: *Quæ ex Regalibus debet faciat.* Vnde factum est ut quemadmodum plurimarum hujus regni provinciarum consuetudo domino feudi addicit usumfructum quoties feudum vacat per mortem vassalli, id quod vulgo * Relevium vocant, sic Reges eo feudorum jure, quoad Regalia five patrimonia episcopatum, usi sint interim dum eorum custodiā ad se receperant, donec sedi vacanti præfectus esset Episcopus, & donec isinvestituram a Rege accepisset, juramentūque fidelitatis præstisset. Quod jus in primis introductum est in provincias in quibus mutatio domini necessitatem imponit solvendi commodum aliquod & utile domino superiori, quod relevium vocant, ut dixi, cum è contraria in illis quæ huic juri relevij obnoxij non sunt, nihil à Regibus tentatum fuerit quod usumfructum Regalium.*

* Rellef.

VI. Ius autem illud, tametsi recenter introductum quoad feuda ad Ecclesiam pertinientia, legitimū nihilominus & æquum erat, quod ea feuda iisdem legibus subiecta esse debeant quibus cetera tenentur. Arbitror autem Reges, resarcendi damnis suis intentos quæ toleraverant dimittendo

jura investiendi Episcopos ante consecrationem, dum Pontificibus Romanis obtinerant ita cupientibus, jure suo usos esse quoad feuda, ut Papa Callistus approverat. Ea mihi semper mens fuerat, hujus moris originem arcessendam esse à jure feudorum. Sed in hanc sententiam facilius transgressus sum post inspecta mandata à Rege Philippo Pulcro data Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antissiodorensi, quibus jubet ut in controversia quadam exorta in Ecclesia Carnotensi Summo Pontifici representent quænam in ea causa sicut jura regia. Extant mandata illa in quodam Regesto Camerae Computorum Parif. fol. 313, ubi hæc leguntur: *Sic uis fœdus vassallo vacans, interim cum suis redditibus à domino licet occupatur, & proper defectum hominis, ut vulgari nostræ patriæ verbo utamur, de jure & generali consuetudine regni nostri per dominum, quo usque superveniat persona que illi serviat, licet detinetur, sic nos & nostri antecessores, vacante Ecclesia Carnotensi, & temporalem jurisdictionem & bona temporalia accipimus, & nos fratres facimus omnes fructus qui proveniunt ex eisdem. Non solum autem nostram potestatem in bonis episcopalibus exercemus; immo bona temporalia Prebendarum & Dignitatum, sive sit jurisdictione temporalium, sive alia bona temporalia que possint ad aliquem pertinere, cum vacante Prebenda vel Dignitate concedimus, & de eis, predicto tamen modo, disponimus nostro jure.*

VII. Verum quoniam facilis est excursus ab æquo ad iniquum, quoties privata utilitas urget, hinc factum est ut prætextu custodia Regalium auctoritas regia ad se traxerit usum fructum decimarum & in universum omnium reddituum temporalium. Cum itaque redditibus quorundam bonorum, veluti Regalium, optimo jure Reges fruerentur, paulatim factum est ut in Ecclesiis quasdam introducta sit consuetudo fruendi universis redditibus. In quo tamen non omnino peccasse videntur Reges nostri; cum id eo prætextu fieri potuerit, quod cum patrimonia episcopatus velut bona nobilia possiderentur ab Episcopo, evecta per consequentiam erant ad dignitatem feudorum. Nam quoad reditus qui vulgo *spirituales* dicuntur, magna Ecclesiæ pars, cum decimis & oblationibus, laicis in feudum datae fuerant à Pippino, Carolo magno, & Ludovico Pio, cum consensu Ecclesia Gallicanæ, ut alibi ostendo; quæ deinde ecclesiasticis viris concessæ sunt, ex permisso Regum. Itaque Principes non omnino destituti erant ratione, ut contendenter servitia & debita feudorum, in hujuscemodi redditibus imposita, extincta non esse vi-

consensus regij adhibiti liberalitati laicorum erga Ecclesiæ, qui ea ad ipsas omnino transfluerant. Adde quod licet jus percipiendi decimas spirituale sit, decimæ tamen sunt temporales, ut aiunt Canonici Iuris interpres. Quoniam verò collatio Beneficiorum censetur pertinere ad fructus, secundum quod in libris Decretalium continetur, eo jure prorsus opportunè usi sunt Reges, ut usum invehement conferendi Præbendas, quarum provisio ad Episcopum pertinebat. Profectum enim hinc esse jus illud regium, ut collatio Beneficiorum interim dum Regalia aperta est vacantum ad Regem pertineat, probatur ex rescripto Alexandri III. edito in antiqua collectione Decretalium quam publici juris fecit Antonius Augustinus: ex quo rescripto discimus Regem Angliae Henricum secundum frui solitum redditibus episcopatus vacantis, & in consequentiam hujus possessionis, Præbendarum quoque collationem ad se traxisse. *Episcopo de medio sublato*, inquit Alexander, & redditibus episcopatus ad fiduciam devolutis, cum quædam Prebenda in iamdicta Ecclesia vacare, carissimus in Christo filius noster H. illustris Rex Anglorum eam Thome Clerico suo contulit; cui etiam aliam postmodum in eadem Ecclesia vacantem, cum archidiaconatu, ad quem dicitur pertinere, concessit. *Quas insimul non debet habere, cum nulli sit licitum in una & eadem Ecclesia duas Prebendas obtinere.*

VIII. Reges nostros redditibus episcopatus vacantis frui solitos jam inde à temporibus Ludovici junioris absoluta est auctoritas. Nam cum Parisiensis Episcopus è vita excessisset anno millesimo centesimo sexagesimo primo, ait idem Ludovicus episcopatum illum & Regalia in manum suam devenisse, id est, non solum Regalia sive feuda, sed etiam universum episcopatum. Eam tamen in ea possessione cautionem adhibet, ut declareret nolle se ad suam utilitatem convertere oblationes & redditus altaris Capiceria, quos cuidam puellarum monasterio addicit: *Episcopatus, inquit, & Regale in manum nostram venit, & similiter Capiceria redditus. Sed cum oblationes & redditum altaris nollemus accipere &c.*

IX. Episcopus quoque Marisconensis professus est anno MCCI. omnia Regalia regni Franciæ ad Regem pertinere dum ledes vacat, & Regem de redditibus eorum statuere posse non fecit ac Episcopum ipsum. Quod si Episcopus discesserit intestatus, non solum ad Regem pertinere redditus episcopatus, sed etiam *omnia mobilia Episcopi defuncti. Omnia regalia, inquit, & omnes provenitus Regalium existentes in regno Francia*.